

continenter, reciprocum quendam movetur motum. Clarum id fit ei, qui in littore stans in unda, simul mari teguntur pedes et nudantur. Iterumque teguntur, atque hoc continenter.”

Hæc ad nostram puerilem illam admirationem. Maiora ipse addit.

“Huic fluctuationi, et unda supervenit accurrens, etiamsi sit placidissimum, et habet vim quandam maiorem. Nam omne alienum in terram eiicit, multamque extra mare propulit algam. Magis vero hoc fit, si stet ventus. Attamen etiam in malacia, et spirantibus e terra ventis. Nihil enim minus ad terram unda, vento etiam adverso, quasi proprium quendam motum, quo ipsum concitetur. Tale illud poetæ est. Extremaque littora circum. Curvum attolitur, saleque respuit algam.”

Iterum quoque.

“Littora reboant, eructante mari extra.”

Undæ ergo accessio, vim quandam habet ut aliena expellat. Quam rem purgationem quandam maris esse aiunt. Qua et cadavera, et naufragiorum fragmenta in terram efferuntur. At recessio, tantam vim non habet, ut vel cadaver, vel lignum, vel suber levissimum ab unda eiectum, unda recurrens sic secum rapiat, quin in terra non remaneat. Et si quis e vicinis locis in mare decidat, a fluctu relinquitur et terra egesta, cum turbida ipsa aqua, etiam gravitate adiuvetur, ut prius subsidat, quam ut pelagus protrudi possit, fluctu tamen egeritur. Nam et fluviorum vis cessat, ac ostia est egressa.

Hæc sane omnia experimenta, quibus et alia addi possent, illud probant, maris universi, proprias quasdam esse vires, quibus quæcumque aliena (modo ne sint gravissima, aut in altissimo iaceant pelago) in eo reperiuntur, extra se eiiciat. Quæ res non est ita pelago propria, ut non sit æri, quoque et terræ communis. Aer namque, quidquid in eum aliunde veniat, aut in eo generetur, vel suos motu dissipat, vel eiicit, vel sinit cadere. Sive ii vapores sint, sive exhalationes. Quas res, quia dum tenues sunt, in ipsum subeuntes, non recipere non potest, aut aditum eis negare, cum similitudine sui, et quadam veluti cognatione subeant, attamen eas sensim densiores facit, et in aliam commutat naturam ut facilius, impetu in eas facto, vel accendat, et ardore consumat, vel in nubes coactas in pluvias solvat, et in præceps det. Vel si neutrum queat, in furorem ipse actus, toto suo campo in furorem itidem acto, id persequitur, quod in se ferre non sustinet, eumque furorem ventum appellamus. Terra quoque aliena omnia quæ ventrem suum aggravant, modo radices non egerint, seu ær illa sint, seu aquæ, seu ignes, ita concutit, et se ipsam tandiu quatit, quousque vel scissione sui, vel elatione, vel hyatibus de se, et in se factis, omnia si possit, e se eiicit. Verum de æris et terra motibus suis postea locis latius disseretur. Ad maris motus redeamus. Mare igitur, hosce duos primum naturales habet motus, ut leviter, veluti respirando ad littora accedat et recedat, idque perpetuo. Se se paululum attollendo, et reprimendo, vel exerendo et se se comprimendo. Et alio, vehementiore, eiusdem tamen generis, aliena omnia e se eiiciendo. Motus hi, actiones duæ eius sunt; actiones omnes a viribus veniunt, vires omnes ab essentia. Essentiales igitur sunt hæc maris motiones, et ab essentia nascuntur maris. Essentia autem eius est, ut et humor sit, et calor simul. A primævis illis, et calore et fluore originem ducentes. Uterque autem et humor et calor, et movendi, se se, et a se emovendi nocua, vires habet. Humor enim, omnes sordes et luit, et abluit. Calor quoque et penetrandi, et incidendi, et heterogenea separandi habet vires. Quod bulliente lebete quovis manifesto apparet. Mare autem humorem esse, nemo non videt. Calorem quoque habere innatum, tum quod aqua sit, tum quod sit falsum indicio certo est. Aristoteles quoque, uti retulimus, esse calidum, clare est confessus. Quid ergo mirum est, si mare semper ferveat, ac veluti bulliat, et saliat, et resideat. Ut aqua et fluor omnis in lebete bulliens? Quid item mirum, si mare sui natura fluor est, fluat et refluat, vel sensim et occulto, vel manifesto? Quid item mirum est, si servendo, spiritus et vapores in se creet? Et eos continue, et emittat, et novos regeneret? Quibus genitis attollatur, et emissis resideat. Quos spiritus etiam Strabo vidit.